
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

35,-153.   DA BOX

(LN bis 76)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

IN HONOREM NVPTIARVM

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ET

Domini, D. VLRICI, Ducis Megalburgij, Principis Henetorum, Comitis Suerini, Domini Roſtochiorum & Stargardiæ, cum Illuſtriſſima Domina D. ELIZABETHA, prognata ex inclyta Daniæ Regum, Holſatiæq; Ducum familia.

Henricus Mollerus Heſſus.

ROSTOCHII,

Ex Officina Ludouici Ditij.

M. D. LVI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

EPITHALAMIVM IN NVPTIIS

Illuſtriſsimi Principis ac Domini, D. VLRICI, Ducis Megalburgij etc. & Illuſtriſsimæ Dominæ, D. Elizabet, prognatæ ex inclyta Regum Daniæ & Ducum Holſatiæ familia.

Scriptum ab Henrico Mollero Heſſo.

TErra pruinoſi plauſtro ſubiecta Bootæ,
Arctoi rapido quaßa ſurore maris.
Diues agris, lacubus, ſyluis, ampliſsima tractu,
Vandaliæ longo tempore nomen habet.
Ex hac gens armis egreßa potentibus olim,
AEternum meruit Martis honore decus.
Terruit inuicti per maxima robora belli,
Auroræ trepidas Heſperiæq; plagas.
Ardua Cimbrorum quis non molimina nouit,
Quam fuerint terris horribileſq; mari?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Marte ſubegerunt triplicis fera cornua Rheni,
Fregerunt gentes Sequana Galle tuas.
Vltima deuicti uaſtarunt flumina Iberi,
Alpes infractis edomuere iugis.

Quæ gens horrendis bellorum fortior undis
Arma tulit Latio nobiliora Tybri?
Quæ gens elatos, toties uirtute, Quirites
Fregit, & in turpem compulit ire fugam?
Quid tibi, Roma, Iouis bellatrix profuit ales?
Fugit magnanimi territa fronte Bouis.
Quæq; nihil Pœnos tremuit uiolenta leones,
Adſpicere aduerſum non tulit illa Bouem.
Carbo triumphantis cernens minitantia Tauri
Cornua, conſcenſo caſtra reliquit equo.
Scaurus captiuo tulit ænea uincula collo,
Manlius inuicto cæſus ab hoſte iacet.

Nec modo tu ualidam ſenſiſti Roma Phalangem,
Quæ uexilliferi eſt ſigna ſecuta Bouis.
Sed quoq; gens Aſiæ uictricia cornua Tauri
Maius equis ſenſit robur habere ſuis.
Capta Saracenæ ſunt oppida gentis & arces,
Cui nihil ad celeres profuit arcus equos.

Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Nec non, in Lybicas penetrarunt fortiter oras,
AEterniq; decus roboris inde ferunt.
Sic ualido triplicem peragrantes agmine mundum,
Fixerunt uarijs multa trophæa locis.

Illorum Reges tantas exire cateruas
Sedibus huc illuc diſpoſuere ſuis.
Vt, tam fœcundæ non ſufficientia turbæ,
In regno uellent arua leuare ſuo.
Vtq́; per amotas præconia Cimbrica gentes,
Et nomen cuperent laude uolare ſuum.
Quis dubitet, ſceptris ualuiſſe potentibus illos,
A ſe qui tantas expoſuere manus?

In uarios tellus ea iam partita Ducatus,
Imperij ueteris robora magna probat.
Inter eos magnis excellunt dotibus oræ
Diuitis, & campi fertilitate, Duo.
Nempe Megalburgæ regio notiſſima terræ,
Et ſitus Holſati plenus & amplus agri.
(Iungitur huic etenim confini Vuagria rure,
Portio Vandalici magna feraxq́; ſoli)
Hunc factis Domini rexerunt fortibus acres
Semper, in hunc clari roboris uſq; diem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Heroës magnis tenuerunt uiribus illam
Semper, in hunc magni nominis uſq; diem.

Prodijt ex horum generoſo ſanguine princeps
VLRICVS, ſtirpis gloria uera ſuæ.
Ex illis celebri deſcendit ELIZABET ortu,
Heroina domus uera corona ſuæ.

Ambo præſignes forma, uirtutibus ambo,
Ambo conſpicui moribus, ambo tribu.
Ambo florentes annis, ditionibus ambo,
Hic Martis præſtans, Palladis illa bonis.
Ambo legitimis incenſi pectora flammis
Firmarunt ſocij pacta marita tori.
Mutuus hinc illis præcordia ſauciat ardor,
Concupit ille ſuam, concupit illa ſuum.

Iamq; peracturi ſacris ſpectacula tædis,
Gaudia magnificis ſumptibus ampla parant.
Vtraq; lætanti regio coit agmine: pompas
Inſtruit Holſatus Magnopoliſq; graues.

Moribus aduentant ſanctis Heroides amplæ,
Virginei flores, fœmineiq; chori.
Has

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Has ſic Sponſa pijs uirtutibus eminet inter,
Inter ut aſtrorum lumina clara Venus.

Ex multis proceres miſsi ditionibus adſunt,
Legati Regum, nobiliumq; Ducum.
Teutones, & celebres Dani, Sueciq; potentes,
Certatim Sponſæ dona operoſa ferunt.

Militiæ cœtus generoſo ſanguine nati,
Induti, in ualidis, arma, uidentur equis.
Hij reſonum crebris hinnitibus aëra complent,
Ferrato quatiunt ſaxea ſtrata pede.

Ludicra miſcentur grauibus certamina telis,
Arma crepant, lituis tympana mixta tonant.
Franguntur longæ ualidis concurſibus haſtæ,
Collapſis multi deijciuntur equis.
Diſploſis ſtrepitant confiċta tonitrua flammis,
Eiaculat rutilos machina multa globos.
Omnia ſtipantur loca ſpectatoribus arctè,
Et plauſu populi compita læta ſonant.

Veſper adeſt, Abaci gemmis onerantur & auro,
Innumeros promit lauta culina cibos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Suauia confertis fiunt conuiuia menſis,
Exhilarant poſitas muſica ſiſtra dapes.
Inuertunt plenos dulci crateras Iaccho,
Efficiunt alacres pocula crebra uiros.

Iam Saturi menſas remouent, epulaſq; recondunt,
Cingitur ad choreas ſexus utérq; leues.
Ducuntur magno regales ordine pompæ,
Miſcentur reſonis muſica plectra tubis.
Aßilit ad Iuuenis latus attentißima Virgo,
Vt poßit, quó ſe uerterit ille, ſequi.
Si rotet hic gyrum, ſe flexibus applicat illa,
Si complectatur, nexibus illa uenit.

Exin progreditur ſolenni ducta triumpho
Ad thalamum Sponſi regia Sponſa ſui.
Incenſis fulgent præeuntia lumina tædis,
Optantur thalamis omnia fauſta nouis.
Ergo totius uotis communibus oræ
Ipſe meas toto pectore iungo preces.

ALme Deus, qui ſanxiſti connubia primus,
Quiq́; ea uis caſta ſalua manere fide.
Annue Principibus cœleſti numine Sponſis,
Fac bene coniunctas irradiare faces.

Nam-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Namq; tuo lecti faciunt hæc fœdera iuſſu,
Ordinis amplexi ſcita ſeuera tui.
Vt caſtum licito ſeruent in amore pudorem,
Et uitent næuos tetra libido tuos.
Vt quoq; fœcundi conceſſo ſeminis uſu
Heroum ſtudeant amplificare genus.
Et dignos linquant tam celſa gente nepotes,
Vecturos generis nomen ad aſtra ſui.
Et defenſuros, dum concidat ultimus orbis,
Et decus & ueterum fortia geſta Patrum.
Quos ſimul & ſponſus celebres & ſponſa recenſent,
Inuictos armis, pacificoſq; toga.
Qui tibi tranquillos dederint Eccleſia nidos,
Nutrierintq́; ſacras in pietate ſcholas.
Qui cuſtodierint diuini iuſſa ſtatuti,
Et diſciplinæ iura ſeuera probæ.
Qui defenſores fuerint inſontibus acres,
Iudicio nocuos punierintq́; graui.
Cædes multarint, profligarintq́; latrones,
Subiectis pacem præſtiterintq́; ſuis.
Qui pro lege ſuum populiq́; ſalute cruorem
Profuderint, hoſtes obruerintq́; feros.
Deniq; qui fuerint, patulis ceu frondibus arbor,
Quorum tranquillos texerit ala greges.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Tam celebratorum laudes & facta parentum
Non dabit obſcuris ille uel illa Notis.
Non geret indignum ſeſe maioribus alter,
Neuter ab antiquis degenerabit auis.

Acer ut imbellem nunquam Leo procreat agnam,
Vtq; parit mollem nulla iuuenca capram.
Verum hæc inſignem fulgentia cornua Taurum,
Getulam ualidi roboris ille feram.
Sic quoq; poſteritas Heroibus æqua creatur,
Et manet egregios digna propago Duces.
Hæc utinam uiridi rectè educatur ab æuo,
Et ſuberunt dignis omnia regna uiris.
Anne ſolet natis innaſci clara parentum
Virtus? an fructus fert bona palma malos?
Sæpe quidem patrum ueſtigia deſerit hæres,
Obſcuratq; ſuæ nomina clara domus.
Sed quem corrupit rudis indulgentia: pulchris
Dum mens ſiue malis moribus apta fuit.

At Princeps VLRICE, tui laus magna Ducatus,
Tuq; pudicitiæ nobile ELISSA decus.
Inclyta cum uobis non ſaltem ſtemmata tanti
Nominis ex claris exoriantur auis.

Sed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Sed grauis acceſsit quoq; diſciplina, paternas
Quis uos poſſe uias deſeruiſse putet?
Quis ueſtræ uos nolle tribus uirtute moueri
Credat? an in tantam fraus cadat iſta domum?
Conſcia uos uirtus caſus animabit in omnes,
Nec uos indignos patribus eſſe ſinet.
Qui non magnificis tantum eminuere triumphis,
Si res armata uenit agenda manu.
Sed quoq; tranquillæ qui tempeſtatis amantes,
Non præ pacificis arma tulere togis.
Iuſtitia rexere ſuas & legibus urbes,
Rectaq; ſubiectis iura dedere ſuis.
Hoſq; gubernantes ſine ui, ſine cæde, tumultus
Martis ab imperijs detinuere ſuis.

Namq; Megalburgæ res geſtas aſpice ſtirpis,
Virtutum normas inuenieſq; Duces.
Veram per quatuor doctrinam ſæcula, conſtat,
Illos conatu rettinuiſſe graui.
Illam conſtanter ſtudio coluere fideli,
Inq; ſuis niſu conſtituere pio.

Quam Chriſti fuerint & relligionis amantes,
Apparent multis certa ſigilla locis.
Plu=

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Plurima ſtruxerunt collegia, plurima templa,
Hucq́; pia ſumptus mente tulere graues.
Et peregrinarunt zelo pietatis aperto
Huc illuc duris ad loca ſacra uijs.
Vtq́; propagarent diuini nomen honoris,
Ad Chriſtum plures pertraherentq́; uiros,
Vtq́; noua cultus abolerent lege profanos,
Cogerunt armis impia regna pijs.
Excellens pietas, quod non ſatis eſſe putarunt,
Noſſe uoluntatem ſeq́; ſuoſq́; Dei.
Sed quoq; diuerſas omni molimine gentes,
Ducere ad integram conſtituere fidem.
Hoc conuerſa pijs nouit Liuonia bellis,
Iamq́; Saraceno ſubdita terra iugo.
Hic magno pugnans Henricus robore, captus
Vltra ſex annos luſtra quaterna fuit.
Inſuper ingenuas coluerunt ſuauiter artes,
Nec ſtirps tam doctos protulit ulla Duces.
Vt reliquos taceam, per bis duo luſtra Iohannem
Vidit in imperio Gallia docta ſuo.
Inſuetoq́; illum tunc inſigniuit honore,
Doctoris tribuens nomen habere ſacri.
Nonus ut annus erat poſt incunabula Chriſti,
Bisſeptena ſuper ſæcula, luſtra duo.

Roſtochij

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Roſtochij doctum fecerunt eſſe Lycæum,
In quo Muſarum dulce ſonaret ebur.
Ex quo non ſegni ſtudio, niſuq́; fideli,
Pubes Aonias ſedula ferret opes.
Fouerunt animo dextraq́; id ſemper alacri,
Collapſumq́; opera reſtituere noua.
Quam fuerint armis & Martis in ordine fortes,
Declarant multis fixa trophæa locis.
Marte fatigarunt Rugios & Saxonas acres,
Marchitas, Miſnos, Tyrigetaſq́; ſimul.
Vſq; à Saxonici uictores Albidos alueô,
Ad tua uenerunt Iſtula magne uada,
Et loca Dithmaricæ penetrarunt inuia fraudis,
A ſe uicinos ui pepulere graues.
Sæpe Paleſtinæ, duce Cæſare, finibus oræ,
Et forti Gallis incubuere manu.

Godſcalcus Danis ſubiecit Regibus olim,
Cum regno Anglorum, Noruegiæq́;, Scotos.

Henricos, Magnos, Albertos, fortibus auſis
Illuſtres, multos gens ea clara dedit.
Inde Megalburgæ deſcendit ſtirpis origo
Maxima, tantorum linea recta Ducum.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Soly- nus. icus. The- is.

Quæ ſibi uirtutum peperit cognomina, magnis
Laudibus, à Solyma, Pace, Leone, Sacris.
In trifido tantis noti uirtutibus orbe,
Clarorum nomen promeruere Ducum.
Nam tria ſæcla decemq́; ſuper, ſuper octoq́; luſtra
Virginei partus nona fluebat hyems.
Fortis ut Albertus, Pragæ, fraterq́; Iohannes.
Ornatus titulo ſplendidiore fuit.
Carolus imperij qui rexit Quartus habenas,
Illos conſtituit nomen habere Ducum.
Fortiter hos geſtis meruerunt rebus honores,
En uirtus dignos quó uehat alta uiros.

Multos iſta domus, pietatis lumine claros
Edidit, & ualidos Marte potente Duces.
Hij ſibi iunxerunt Dominas, Heroidas amplas,
Ex ſumma magnæ nobilitate tribus,
Et tanto dignos genuerunt ſanguine natos,
Ex quibus Albertus Rex Borealis erat.
Hæredes alij patriam cum laude tuentur,
Hoſq́; pares uirtus æmula reddit auis.

Ipſæ præſtantes omni uirtute Duciſſæ
Auxerunt tantæ nomina clara domus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Ornarunt celebres fœcunda prole, uerendis
Regibus, excelſis principibuſq;, toros.
Giſla Megalburgæ lectiſsima fœmina ſtirpis
Coniuge magna fuit, maxima prole fuit.
Henricus Cæſar Romani Tertius orbis
Hac & Conrado Cæſare natus erat.
Cypria Reginam, Maßilia clara Ducißam
Se ſuper ex iſta conſtituere tribu.
Hinc quoq; Saxo pius, Saxoq́; Auguſtus, & Heſſus
Martius, hinc plures emicuere Duces.

Sic oculos quocunq; fero, ſuper omnia claram
Laude Megalburgam conſpicor eſſe domum.
MAGnus ab hac deſcēdit, auus tuus, inclyte Princeps.
Qui togæ & armorum tempore magnus erat.
Hic quam prudenti ſubiectas rexerit oras
Imperio, breuiter quis numerare queat?
Ille duos, uitæ poſt ultima fata, reliquit
Heroas, patrium qui ſequerentur iter.
Grande gubernandi populos qui munus obirent,
Iuraq́; commiſſis ciuibus æqua darent.

Quem Ducis Henrici pietas, prudentia, uirtus,
Veraq́; iuſtitiæ laus, bonitaſq; fugit?
Primus

Primus Obotritas hic deriuauit in oras,
Flumina Saxonico nuper oborta ſolo.
Quæ peccata lauant hominum, ueramq; ſalutem
Adducunt, Chriſti ſanguine tincta ſacro.

Quem Ducis Alberti celeberrima facta, parentis
Sponſe tui, armorum facta togæq; latent?
Illius intentus bellis & pace quietus,
Eſt Quintus multa Carolus uſus ope.
Illum delitijs Sors eneruare nequiuit,
Quamuis innumeras accumularet opes.
Illum nec potuit Sors perturbare procellis,
Quamuis in tumidas præcipitaret aquas.
Illum ſæpe bonis fortuna potentibus auxit,
Et quoq; in anguſtum ſæpe coëgit iter.

Hac uice, Sponſe tuo, decus immortale, parenti
Sors inconcuſſo uicta tenore dedit.
Sic illi ſummum peperit Rhamnuſia nomen,
Huc illuc dubia ſtanſq; cadenſq; rota.
Sæpius horrendæ ui tempeſtatis in illum
Sæuijt, at contrà fortior ille ſtetit.

Aurum candenti ſic exploratur in igne,
Sed radio ſemper fulgidiore redit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Egregium ſæui tempeſtas arguit Auſtri
Nauclerum, magnum prælia iniqua Ducem.
Vis uirtutis enim ſe clarior explicat, æſtu
Amphitryoniaden ſi fera Iuno premit.
Sic magis Aenean illuſtrauere labores,
Quam ſub Troianis ocia terſa focis.
Sic magis errantis uirtus effulſit Vlyßi
Dum ferret tumidi longa pericla maris.
Quam dum ſubrueret fœlicibus Ilion armis,
Vrbis & incenſas ureret igne domos.
Sic magis illuxit quoq; uirtus aurea patris
Sponſe tui, rapidis ſæpe probata Notis.
Quam ſi perpetuis rerum ſucceßibus uſus
Nunquam ueſanis obrutus eſſet aquis.
Ipſius exemplo tibi ſit conſtantia, ut illam
Ardenti ſtudeas ſemper amore ſequi.
Ne mergare, truci ſi ſors tonet aſpera fronte,
Nec tollare, uago ſi pede blanda iuuet.
Aura tibi excutiat nulla integritatis amorem,
Siue ſecunda ferat, ſiue ſiniſtra uetet.
Publica priuatis præponas commoda rebus,
Curam, te patriæ reſpicientis, agas.
Illius utq; uelis, tanquam pater, arua tueri,
Interdum dura, ſit leue, ſorte premi.

B Hæc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Hæc quoq; maternæ poſcit te ſtirpis origo,
Illius expendas ſi modo geſta patrum.
Nam de Marchionum genus illa propagine ducit,
Ex tam præluſtri, Marte togaq́;, domo.
Eſt ſiquidem primi Ioachimi filia, Clauem
Qui tulit inuicti Cæſaris ante pedes.
Quis negat, hæc toti quod ſit notiſſima mundo,
Cum quoq; Solares repleat illa domos?
Quó non Marchionum genus atq; inſignia facta,
Quó non Teutonici nomen Achillis abit?
Illorum uirtus totum circumuolat orbem,
Quà Sol inclinat, quaq́; reſurgit aquis.
Aduerſos armis domuerunt fortibus hoſtes,
Quem Mars illorum bellaq; clara latent?
Quæ non inuictas gens eſt experta cohortes,
Quas fera Marchionũ duxit in arma genus?
Senſit in Hercinijs qui rura Boëmica ſyluis
Tortus arenoſis irrigat Albis aquis.
Repperit hos duros Pomeranis Odera, ferre
Quos pro Sileſiæ uiderat arma focis.
Vandalus obſtupuit uictos dare terga Polonos,
Vimq́; Boruſſorum ſuccubuiſſe uirûm.
Vrbs quoq; quam tremulis Pegneſus diuidit undis,
Marchionum toties Marte cruenta fuit.

Hos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Hos tremuit tellus quà Rhenus oberrat & Iſter,
Quá ſinus Arctoam Sueuicus arctat humum.
Quin ſunt Alpinos auſi tranſcendere montes,
Martiaq́; in Latio caſtra locare ſolo.
Nec tamen hæc genuit tantum gens Marte potentes,
Sed quoq; præclaros pacis honore Duces.
Edidit Heroas qui conſilioq́;, fluentiq́;
Eloquio, Pylio præualuere Seni.
Tum dedit ingenuis fautores artibus, inſtar
Illius, a Thuſcis qui fuit ortus auis.
Illi manſuro ſtruxerunt atria cenſu,
In quibus Aonij creſceret ordo chori.
Hinc doctæ florent ubi uoluitur Odera ſedes,
Atq; ubi Prutenas Bregela fundit aquas.
Te, princeps VLRICE, ſacris Permeßidos undis
Lote, Meduſæi magne Patrone chori.
Te mater tanti conſortem reddit honoris,
Quo domus æternis laudibus iſta uiget.
Quid iam nobilius? quid tali illuſtrius ortu?
Seu patris aſpicias, ſeu genitricis auos?
Quis, quanta accedat uirtuti gloria, neſcit,
Si ſic fortunæ ſplendeat aucta bonis?
Et licet in propria tantum uirtute locetur,
Non in maiorum nobilitate, decus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Sic tamen ingenuis cunctos uirtutibus æquas,
Vt reliquos generis uincis honore Duces.

Non igitur temerè, magni quoq; ſtemmatis uxor,
Legitimo amplexus ambit amore tuos.
Non ſine fatali nubit tibi numine Nympha,
Qua non eſt thalamis dignior ulla tuis.
Prodijt in uitæ regalis ELIZABET auras,
Vt tibi non cælebs uita trahenda foret.
Digna tuis eſt illa toris, ob candida morum
Pectora, & æquales nobilitatis auos.
Quos numerat longo præclaros ordine, rebus
Armifero geſtis paciferóq; ſtatu.
Semper eos habuit fidos Eccleſia alumnos,
Fautoreſq; ſuo turba nouena choro.
Firmarunt ſacris collegia multa Camœnis,
Imbuti ſtudijs Gallia docta tuis.
Prælia geſſerunt pro relligione tuenda,
Contra Liuones, Armenioſq; feros.

Quid multis laudem priſcæ uirtutis Adolphos,
Excelſos Martis Pieridumq; bonis?
Quid celebrem ſumma præſignes laude Gerardos,
Infractos animis & pietate ſacros?

Quid

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Quid dicam reliquos, quorum præconia florent?
Virtutum ſtabili certa ſigilla fide.
Promeruit LARGI nomen bonitate Iohannes,
Communi MAGNVS laude Gerardus erat.

Dictus ob inuictum dextræq́; animiq́; uigorem,
Henricus toto FERREVS orbe, fuit.
Militiæ cœtus, Regumq́; theatra ſecutus,
Extulit immenſo nomen honore ſuum.
Pro Sueco domuit uiolentis Finnonas armis,
Vſus conſilio diua Brigitta tuo.
Proq́; Anglo aggreßus Gallos, hoſtesq́; Boëmos,
Profligat forti uictor utroſq; manu.
Vtq́; ibi clarus Eques diuturnos uiueret annos,
Rex in cum multo gratus honore fuit.
At proceres uirtus illius aperta momordit,
Virtuti ſemper liuor adhæret iners.

Mos erat Henrico ferrata repagula Caſtri
Scrutari, primum Sole uehente diem.
Ergo flammantes odijs inuaſit acerbis
Perdendi tantum ſæua libido Ducem.
Clauſus in arce fuit Leo diris unguibus horrens,
Ipſeq́; non coram Rex Eduardus erat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Illum, Regina ſic permittente, relaxant,
Incautum rabido mactet ut ore uirum.
Inſcius Henricus fraudis, de more reſurgit,
Per medias arcis progrediturq; uias.
Proſilit ecce Leo, rictuq; incurſat hiante,
Arreptum cupiens dilacerare Ducem.

Illius aſt Heros interritus increpat iras,
Concidit adq; Ducis bellua uicta pedes.
Illeq; deprenſum manibus, uincliſq; ligatum
In ſua Samſonico robore clauſtra trahit.
Impauida dicunt terreri uoce Leonem,
Arduaq; intrepidi uerba timere uiri.

Idem ſtipatus multis aliquando Britannis,
Conſtitit ad caueas ſæua Leæna tuas.
Euellenſq; ſua gracilem de fronte capillum,
Ingreditur diræ clauſtra reuulſa feræ.
Crinemq; imponit ceruici impune Leænæ
Fertq; retro auerſis uultibus inde pedem.
Obſtupuit Lea, nec quicquam tentauit in illum.
Hîc Princeps Anglis talia uerba facit.
Hæc á degeneri generoſam beſtia prolem
Diſcernens, grauibus non mouet arma uiris.

Inter

Inter uos igitur quicunq; uiriliter auſus
Se putat à uera nobilitate ſatum,

Eia age, quod facio, conſtans imitetur, eumq́;
Quem iam depoſui, refferat inde pilum.
Illi demiſsa diſcedunt fronte ſtupentes,
Nec minus inuidiæ monſtra frementis alunt.
Inſidijs igitur cedens Henricus acerbis,
Emerito placidi pectore Regis abit,
Annuaq́; aurati ſtipendia concipit æris,
Aeternum generi continuanda ſuo.
Sic patrijs longo poſt tempore redditus oris,
Heros immenſi roboris acer erat.
Et ſi delatum non excuſaſset honorem,
Geſsiſset ſceptrum Suecia clara tuum.

Illi neptis erat generoſa, decora, pudica,
Hæres Holſatæ ſola relicta domus.
Hanc Theodoricus, Comes Oldenburgius, amplo
Conſortem thalami fecit honore ſui.
Et ſic Holſatum Dux eſt euectus in orbem,
Inclytus excelſæ poſteritatis auus.
Nam genuit natum Regem, Regumq́; parentem,
Sceptraq́; adhuc Danis illa propago gerit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Filius à Chriſto memorabile nomen habebat,
Corporis excellens ingenijq́; bonis.
Hic in Danorum, regno poſcente, Monarcham
Euectus, magno ſceptra decore tulit.
Hoc populus Danis Gotlandicus auſpice paret,
Qui fuerat Sueco ſubditus ante iugo.
Danorum ſceptris Holſatum corpus adunit,
Et gerit in Sueco Rex diadema ſolo.
Inuiſit Romam comitatu ſplendidus amplo
Saxoniciq́; Ducis, nobiliumq́; uirûm.
Tunc Cæſar magnis Fridericus honoribus illum
Excipit, id Latij continuantq́; Duces.
Splendentem triplicis Regem diademate ſceptri
Amplexus prono Sixtus amore fuit.
Vt poſt ad Rheni uada Rex ſinuoſa rediret,
Dux cum Brunſuico Magnopolenſis adeſt.
Cumq́; alijs, celebri natis de ſanguine, Regi
Obuius, hunc iunctis concomitatur equis.
Hoc Dux Nuſsiacas Burgundus tempore portas
Viribus arctabat militiaq́; graui.
Rex igitur cupiens tantos extinguere motus
Aduenit in magni caſtra profunda Ducis,
Sexta ſuper quatuor ſpectabat Olympias annos
Geſtantem lati regia ſceptra ſoli.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Dania biſſenis non uiderat inclyta luſtris
Hæredem ſceptri, rege parente, ſui.
Exuit hoc illum felix moderante ruborem,
Cernens regali pignora digna toro.
Nam florebat adhuc tecum Friderice Iohannes,
Reges ambo graues, Regis uterq; parens.

Adfuit in Latia patris comes urbe Iohannes,
(Quo regni faſces deficiente tulit)
Cumq́; pater propius Burgundica caſtra ueniret,
Mittitur ad belli filius ipſe Ducem.
Hîc Iuueni, nondum præconia Regis habenti,
Tam laudato ingens à Duce uenit honos.
Nam pedes occurrit uenienti Carolus ipſe,
Cui tunc par magno nomine nullus erat.
A tanto ſummos Heroe lucratus honores,
Ad ſua felici ſydere ſceptra redit.
Commiſſosq; regens, à patris funere, faſces,
Et belli & pacis tempore fauſtus erat.

Quis Fridericus erat? cum nominis omine, pacis
Diues, amansq;(tuus Regia Sponſa parens)
Inq́; timore Dei, Danas moderatus habenas,
Doctrinæ ueræ non inimicus erat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Primus enim Regum, quos totus ſuſpicit orbis,
Eſt Euangelij grande ſecutus iter.
Tunc ut terribili proceres horrore fremebant
In nuper natas relligionis opes.
Illius æternis hinc gloria laudibus orbem
Peruolat, extremo non ruitura die.

Quæ de fratre tuo, Danorum Rege potentum,
(Sponſa genus Regum) laus ſatis eſſe poteſt?
Inuicta regnum uirtute recepit auitum,
Martia, ceu præſtans, fortis in arma, Leo.
Aemulus in Diui quoq; nomina clara parentis,
Pacis amat, ni ſint bella gerenda, decus.
In pietate pij ſectans ueſtigia patris,
Conſtans in uera relligione manet.

Vt primum regni moderari cœpit habenas,
Sedulus hoc toto pectore uoluit opus.
Vt Chriſto, de cuius habet bene nomine nomen,
Panderet in regnis oſtia grata ſuis.
Ergo repurgauit, cultrix Eccleſia Chriſti,
Sedes à tetris ſordibus ipſe tuas.
Praua ſuperſtitio ceßit, cultuſq; profani,
Cum laqueis, iſto uindice, Roma tuis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Sicq́; ſuos denſa populos ex nocte reduxit,
Effecit lucis participeſq; nouæ.
Deq́; Deo, fidis conatibus inſtaurauit,
Per fines regni dogmata uera ſui.
Inſtituitq́; pio renouatos ordine cultus,
Concordes uerbo maxime Chriſte tuo.
Vtq́; propagari cœleſtia ſemina poſſint
Rectius, & fructus commoda ferre boni.
Conduxit largis Doctores ſumptibus, aptos
Tradendi legis myſtica uerba ſacræ.
Quid ſit opus magis in terris, hominumq́; ſaluti
Vtilius, tanti quam pia cura boni?
Nunquid ad æterni compendia firma decoris
Aptius, hac ſummi ſedulitate uiri?
Ipſe Euangelium Chriſti complectitur ultró,
Id fouet, id tota mente tuetur, amat.
Laudibus hoc facto quid dignius? amplius? iſta
Quid pietate Deo gratius eſſe queat?
Non laus inferior, non gratia uilior ipſum
Ingenti meritó debet in orbe ſequi.
Quam, qui iecerunt magno fundamina niſu
Prima, per Arctoam, relligionis, humum.
Et quia felici nequeat Reſpublica freno,
Abſq; bona legum cognitione, regi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Et ſine Muſarum ſtudijs, iuueneſq́; ſeneſq́;
In ſæuas abeant degeneremq́; feras.
Hoc REX aduertens animo ſapiente, Lycæum
Condidit in tectis Haſnia clara tuis.
Illud & impenſa ſuſtentat alitq́; perenni,
Aeternum regni præcipuumq́; decus.

Laudarem reliquis nunc à uirtutibus illum,
Sed uires ſuperat longior ordo meas.
His igitur proprium poſthac ego deſtino carmen,
Interea patriæ ſit maneatq́; pater.
Inq́; ſuas cernat uirtutes creſcere natum,
Quem tanti expectant regia ſceptra patris.

Ergo recenſentur ſex hoc de ſanguine Reges,
Det Deus, ut nunquam concidat illa domus.
Hinc VLRICE tuæ manant primordia Sponſæ,
Hoc uenit in thalamos ſtemmate nata tuos.
Quam bene poſteritas tantæ clariſsima gentis
Iungitur, unanimi conſociata toro.
Quam clari ſobolem thalamus feret ille decoris,
Cui uel nobilitas porrigat ipſa manum.
Vos igitur moueant tantorum geſta parentum,
Ne grauis illorum diminuatur honos.

Viri.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Viribus huc totis omnes intendite curas,
Ne præfinitum deſtituatis iter.
In ueſtris habeat ſedes Eccleſia terris,
Hac uobis melius ſit pietate nihil.
Hic doctrina ſonet ſcripturis congrua ſacris,
Non debet uanis cultibus eſſe locus.
Inſtaurate ſcholas, ſit uobis cura iuuentæ,
Vt bene ad Aonias inſtituatur opes.
Imbibat ut ſanctis pulchras cum moribus artes,
Ordinet huc dignos gratia ueſtra uiros.
Vt neq; diuinæ laxentur uincula legis,
Externam iuſsu uim prohibete graui.
Nec deſint nerui: pœnis compeſcite ſontes,
Non uos incaſſum munijt enſe Deus.
Subiectas pacem bene cuſtodite per oras,
Vaſtantur bellis omnia, pace uigent.
A populi tergis ſæuos arcete latrones,
Ne uis, ipſius corpus opeſue, premat.
Iniuſtos ueſtris depellite finibus hoſtes,
Hic licet aduerſis arma ciere uiris.
Subiectos animis ſemper curate paternis,
Et curæ uobis ſit quoq; cultus agri.
Non exugatur nimijs gens ueſtra tributis,
Munia Paſtoris recta ſubite boni.

Tandem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Tandem nos, ſtudio qui pulchras imus in artes,
Clementi, patrum more, fouete ſinu.
Quodq́; fuit claris maiorum rebus honeſtum,
Nec ueſtris illud turpe putetis opus.
Illi ſi dignos nulla nos laude putaßent,
Noſtra ſub Arctoo quæ foret axe ſalus?
Tum neq; Roſtochij nobis patefacta fuißent,
Nec quæ cis Viadrum culta theatra iacent.
Nec iam Pierias reſonaret Bregela laudes,
Nec coleret doctas Haſnia pulchra ſcholas.
Vos digni tantis autoribus, edite natos,
Qui ueſtrum digno munus honore gerant.
Eia agite, à tanta maiorum ſtirpe profecti,
Hoc augete pari ſedulitate genus.
Quodq́; (uelut cœli ſtellas Sol occulit) ortu
Obſcurat reliquos ſplendidiore Duces.
Illius excelſas laudes, & nobile nomen
Augmentis rurſum uos operite nouis.
Si tamen eximios hoc eſt operire parentes,
Nec magis, illorum plus aperire decus.
Sic fax incendat ueſtras fauſtißima tædas,
Sitq́; in fœcundo nulla querela toro.
Sic uos ad iuſtam laus ambiat alta ſenectam,
Aulaq́; ſit cunctis ueſtra referta bonis.

Sic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Sic ueſtro Charites, ſic pronuba Iuno cu
Et cinctus ſertis ſuauibus adſit Hy
Sic florete ſimul, Pylios dum SPONSE ſup
Tuq; Sibyllinos SPONSA beata dic

FINIS.

NVPTIAE CELEBRAT SVNT ANNO DOMIN 1556. Menſe Februario.

ALma redemptoris poſt incunabula Chr
Qui Deus ex caſta uirgine natus hom.
Ter quinq; addebant, bis quinis, ſecula, luſtris
Sex annos, octo bis, tibi Iane, dies.
Vt celebrant feſtis hymeneia gaudia pompis,
Accenduntq; ſacræ lumina fauſta facis.
Nempe, Megalburgæ flos illuſtriſsimus oræ,
VLRICVS, generis maxima fama ſui.
Nataq; Danorum generoſo ſanguine Regum,
Gloria laudatas inter, ELISSA, nurus.
Sit fortunatus, felix, iucundus, amicus,
Fertilis, unanimis, ſoſpes et æquus,

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 76 [35,-153 8°]